

inquit D. Thomas in 4. dist. 20. quest. 3. art. 3. Atque Capitulum succedit Episcopo in jurisdictione, non solum contentiosa, sed etiam voluntaria, saltem, quæ nulli præjudicat, neque casus reperitur in Jure exceptus.

80 Oppositam sententiam tenet Jo. Andreas c. Accedentibus. num. 2. de Excessib. Prælat. Fagnanus c. Illa. num. 14. h. t. citans plures alios, & asserens, hanc opinionem communiter teneri. Ratio esse potest: quia Capitulum Sede vacante non succedit in his, quæ sapientiam gratiam. Glossa cap. 1. vers. Præsentatos. de Institut. in 6. Simulque, quia potestas concedendi Indulgentias, videtur esse jurisdictionis extraordinariæ, atque de illis, quæ sunt refervata Dignitati Episcopali. Saltem totius esse, ut ad effugiendam omnem contradictionem Capitulum Sede vacante illam Indulgentiarum largitionem committat cuiusdam Episcopo, fatetur Barbosa cit. allegat. 88. numer. 21. & Marchettus ubi supra. apud quem plura de potestate Vicarii Capitularis.

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælatiis sine consensu Capituli.

I Ratio continuationis Rubricarum.

SCienti bonum commune Ecclesiarum exigit, quod Capitulum Sede vacante omnia pro libitu facere, atque ordinare non possit: ita pariter præfatum bonum commune requirit, ne plenaria, profusque à Capitulo independens in omnibus potestas competat Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatiis. Quia igitur Titulo præcedenti actum fuit de iis, quæ potest, vel non potest Capitulum Sede vacante: merito subiungitur præfata Rubrica de potestate Episcoporum, aliorumque Prælatorum, tractandi negotia sive Ecclesiæ cum vel sine consensu sui Capituli. Pro cuius clariori discussione sit

§. I.

De consensu, & consilio Capituli; & quando requiratur ad Acta Prælatorum.

SUMMARIUM.

- 2 Inter Consensum, & Consilium, est longa differentia. Consilium nemo cogitur sequi. Ibid.
- 3 Et cur nihilominus aliquando Prælati cogatur adhibere consilium Capituli?
- 4 Consilium quandoque sumitur pro Consensu.
- 5 Consilium reverentiæ obligat, estque servandum.
- 6 In quibus casibus generatim requiratur consensus Capituli? Et num. seqq.
- 7 Hæc questio procedit non solum de Capitulo Cathedrali respectu Episcopi, sed etiam de Capitulis inferiorum Ecclesiarum, & Monasteriorum respectu proprii Prælati. Ibid.
- 8 Minora negotia potest Episcopus, seu Prælati sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere: non verò majora.
- 9 Secus speciali locorum consuetudine.
- 10 Istud amplius probatur. Etenim. seqq.
- 11 Consilium Capituli Superior sequi non cogitur.

quæ fiunt à Prælatiis &c.

- Ibid. & num. 2.
- 10 Bene tamen adhibere, ubi id de jure requiritur: & quidem sub nullitate actus. Et num. 3.
  - 11 Ubi requiritur consensus Capituli, non sufficit consilium adhibere.
  - 12 Generatim requiritur consensus Capituli in omnibus illis, in quibus vertitur Ecclesiæ, vel Capituli interesse, & vel præjudicium.
  - 13 In quibus casibus in specie requiratur consensus Capituli? & num. seqq.
  - 14 Hic non requiritur, quando Episcopus procedit ut Delegatus Sedis Apostolicæ. Ibid.
  - 15 Consensus Capituli requiritur in alienatione rerum ad Ecclesiam, vel Capitulum pertinentium &c.
  - 16 Item, quando agitur de subjectione Capituli.
  - 17 Et quoad obligationem Ecclesiæ, v. g. ex Deposito, Fidejussione &c.
  - 18 Item, quando Collatio Beneficiorum communiter spectat ad Episcopum & Capitulum.
  - 19 Quod ampliat ad alia, quæ spectant ad Episcopum & Capitulum simul.
  - 20 Consensus Capituli requiritur in suppressione Canoniciatum, & unione Beneficiorum, propter tenuitatem Præbendarum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus.
  - 21 Item in unione Beneficiorum ex aliis causis.
  - 22 Istud locum non habet in unione cuiuspiam Ecclesiæ facta Menſe Episcopali, aut ipsi Capitulo: quia tunc requiritur auctoritas Papæ.
  - 23 Solvitur Instantia.
  - 24 Spectato Jure communi, requiritur consensus Capituli in inquirendis, puniendisque excessibus subditorum.
  - 25 Et quid loquendo de consuetudine? Ibid. & numer. 26.
  - 26 Qualiter requiratur consensus Capituli in ventilatione causarum criminalium contra personas in Dignitate Ecclesiastica constitutas?
  - 27 Consensus Capituli requiritur generaliter in omnibus casibus, in quibus alicubi viget consuetudo eundem adhibendi.
  - 28 Valet Consuetudo, in præmissis casibus non requirendi consilium Capituli.
  - 29 Eaque passim introductum est, ut in plerisque casibus Episcopi sine consilio, vel consensu Capituli procedere valeant.
  - 30 Solvitur instantia ex c. Novit. h. t. desumpta.
  - 31 Quenam negotia per Episcopum expediri debeant cum consilio Capituli? Et num. seqq.
  - 32 Spectato Jure communi, Episcopus non nisi cum consilio Capituli in Beneficiis instituire, vel destituere debet Abbates, Abbatissas, aliisque personas Ecclesiasticas. Ibid.
  - 33 Atque olim in Ordinatione Clericorum tenebatur adhibere consilium Capituli: secus de facto.
  - 34 Episcopus de Capituli consilio debet providere, ut habeatur lectio Sacræ Scripturæ, doceaturque Grammatica &c.
  - 35 Potest Episcopus convocare Capitulum, etique aliquid ad deliberandum proponere &c. Et num. seqq.
  - 36 & 37. Et quid, si de re ad Episcopum, vel suorum commodum spectante agatur?

Queritur I. In quo differat Consensus à Consilio? Resp. I. Inter Consensum, & Consilium, longa est differentia, ut loquitur Abbas cap. 1. num. 5. h. t. Hostiensis in Summa. eod. n. 2. vers. Sed quest. differentia. Pirhing h. t. n. 18. & Engel num. 1. eod. cum aliis. Nam Consensus idem est ac duorum, vel plurium sensus in idem, juxta textum

in caus. 29. q. 1. §. 2. Unde, quando requiritur consensus Capituli, tenetur Prælati sequi id, quod major & sanior pars Capitalium concluderit: alioquin nulliter agit, c. 1. ac seqq. h. t. Si autem tantummodo requiratur consilium Capituli, sola consultatio cum Capitalibus capitaliter congregatis facta sufficit, absque eo, quod Prælati eorum opinionem sequi teneatur: prout est casus notabilis in c. Cum olim. 7. junctâ Glossâ vers. sive discordet. de Arbitris. Siquidem nullus cogitur sequi consilium alterius, etiam si illud petere teneatur, arg. cit. c. Cum olim. de Arbitris. & c. Cum in veteri. 52. de Election. ac sæpius respondit Sacram Congregationem Concilii, refert Fagnanus c. Cum ex eo. n. 20. de Reliquiis & venerat. Sanctor. Quin imò quilibet apud se ipsum explorare, ac deliberare debet, an illud, quod alius consulit, sibi expediat, nec ne, can. Quisquis. 14. q. 1. & l. 2. ff. Mandati. In quo posteriori loco dicitur: *Liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium.*

3 Nec dieas. Ergo frustra Prælati aliquando cogitur consilium Capituli adhibere, si non tenetur sequi sententiam ipsius. Resp. enim cum Glossâ, c. Cum olim. vers. sive discordet. de Arbitris. & DD. passim, negando sequelam. Quin imò talis prævia consultatio cum Capitulo habita, potest ad multa esse utilis: tum quia hæc ratio, sive ob necessitatem requirendi consilium Capituli, occurrit præcipitantiæ Prælati; cogiturque Prælati melius deliberare negotium, & illud maturius resolvere. Tum quia potest quandoque consilium Capituli movere Prælatum ad aliquid faciendum; quod forsitan per se non fecisset, arg. c. Nicæna. dist. 31. Nam, ut habet illud vulgatum: *Oculi plus vident, quam oculus.* Hinc illud Ecclesiastic. cap. 32. *Cælestis Monumentum: Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non penitebis.* Atque idcirco non frustraneè Jura in certis casibus statuerunt, quod Prælati teneatur adhibere consilium Capituli, etiam sub nullitate actus isto non adhibito celebrati: ut c. Cum in veteri. 52. de Election. cum similibus.

4 Resp. II. His tamen non obstantibus Consilium quandoque accipitur pro Consensu, seu autoritate Superioris. Ita Fagnanus c. Admonet. n. 3. citans Burtium ibid. n. 5. & 6. & Cardinalem in 3. Not. de Renunciat. Atque idcirco innuit textus ibidem, utpote prohibens, ne quis Clericorum audeat Ecclesiis dimittere inconsulto Episcopo: nam ly, *inconsulto*, idem importat, ac sine consensu Episcopi; prout explicat Glossâ ibid. vers. *Inconsulto*. Neque enim ad dimittendum Beneficium sufficit consulere Prælatum, sed oportet illius consilium obtinere, can. Episcopus de loco. & can. Si quis Presbyter. 7. q. 1. cum concordantiis. Simile quid habetur in Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 16. de Reform. illis verbis: *Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicitur.* Nam ly, *inconsulto*, importare defectum consensus Episcopalis, patet ex contextu verborum; ac notat Fagnanus loc. cit. n. 13.

5 Tacetur Consilium reverentiæ: nam quod istud obliget, ac proinde necessarium sit observandum, patet ex c. Ad aures. junctâ Glossâ fin. de Etate & quali. præsciend. etique jam dictum supra Lib. I. Tu. 2. de Constitutionibus. §. 7. n. 159. & 160.

6 Queritur II. In quibus casibus, seu negotiis, generatim requiratur consensus Capituli? Hæc questio non solum procedit de Capitulo Cathedrali respectu Episcopi, sed etiam de Capitulo inferiorum Ecclesiarum, imò & Monasteriorum respectu proprii Prælati: nam in illis omnibus reperitur ratio unius corporis mystici, cujus caput est Episcopus, aliisque Prælati, membra verò esse

probantur Canonici, aut (loquendo de Monasteriis) ceteri Religiosi, seu Conventuales, arg. c. Novit. 4. h. t. insuper questio procedit duntaxat de bonis, atque juribus communibus; seu quæ ratione Ecclesiæ, atque unitatis corporis mystici, competunt singulis ut Collegio: nam quod Episcopus aliisque Prælati capax domini rerum in particulari, liberè disporre possit de bonis suis patrimonialibus, extra controversiam est. Quibus prænotatis

Resp. I. Generatim loquendo, ac secus speciali locorum consuetudine, minor negotia potest Episcopus, seu alius Prælati sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere; majora verò negotia, debet expedire cum consensu, vel saltem cum consilio Capituli: cum consensu quidem, quando is expressè requiritur à Jure: cum consilio verò, quando Jus vel expressè requirit consilium Capituli, vel fallent ipsamet res est gravis & ardua, majorisque momenti. Ita in re communi; & ratio generalis est: quia Capitulum cum Episcopo, vel alio Prælati suo, constituit unum corpus, cujus caput est Episcopus, seu Prælati, Capitulum verò præsentat membra illius corporis: atque idè in rebus agendis non debent dividi, & separari membra à capite; quia hoc esset monstruosum: Eadem Consilio probatur quoad singula. Nam

Dicitur in primis, *Generatim loquendo, ac secus speciali locorum consuetudine &c.* Siquidem data Conclusio stat loco regulæ, quæ procedit spectato Jure communi, secus speciali locorum, seu Ecclesiarum consuetudine: nam quod consuetudo in proposito plurimum valeat, ac proinde in praxi bene sit attendenda, ex professo dicitur infra num. 25. 26. & seqq.

Dicitur secundò sub disjunctione, *minora negotia potest Prælati sine consilio, vel saltem sine consensu Capituli peragere.* Nam in hisce minoribus negotiis consensus Capituli non requiritur, fatentur omnes: eò quod ipsemet Prælati habet administrationem rerum suarum Ecclesiæ, c. Cum nobis. 19. §. fin. de Election. Sicut & Abbas totam potestatem habet circa cultum Divinum, aliisque res Monasterii sui, can. Nullam. 19. q. 2. Unde consequens est, quod in minoribus negotiis non requiratur consensus Capituli, sed sufficit adhibere consilium ipsius, quod tamen superior sequi non cogitur arg. c. Cum olim. 7. de Arbitris. Quin imò in rebus levioribus atque quotidianis, nec opus est consilio Capituli, utpote quod impossibile foret semper congregare; & alioquin frustra committeretur Prælati administratio rerum Ecclesiasticarum, si in omnibus opus haberent consensus, vel saltem consilio Capituli.

Dicitur tandem in data Conclusionem, *majora verò negotia debet expedire cum consensu, vel saltem cum consilio Capituli, &c.* Illud liquidem patet ex toto hoc titulo, cum concordantiis. Unde quæ præcedenda sunt cum consilio Capituli secundum præscriptum Juris, non obstantem, quod ejus consilium Prælati sequi non teneatur, tamen si tale consilium is non adhibeat, irrita erunt acta ejus: uti habetur c. Novit. 4. h. t. ibi: *Nos enim tales institutiones, & destitutions (sine consilio Fratrum, seu Capituli factas à Prælati) carere decernimus robore firmitatis.* Idem constat ex c. Quanto. 5. eod. & c. Cum olim. 7. de Arbitris.

Econtra, si quæ agenda sunt cum consensu Capituli, non sufficit duntaxat consilium ipsius adhibere; sed opus est etiam consensu Capituli, vel saltem majoris & sanioris partis ejus. Textus est in cap. 1. & c. Tua nuper. 8. & c. Pastoralis. 9. h. t. & alibi

Resp. II. Generatim requiritur consensus Capituli in omnibus illis casibus, seu negotiis, in quibus vertitur Ecclesiæ, aut ipsius Capituli interesse, sive



h. i. Concordat textus notabilis, contentus in c. Quanto. 5. eod. id ipsum amplians ad alia Ecclesiæ negotia, illis verbis, *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus, & confirmationibus, & aliis Ecclesiæ tuæ negotiis, Fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragas, & pertractes: & quæ statuenda sunt, statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipas, & evellas.* Hæc ibi. Atque istud maxime observandum esse in illis, quæ ipsa Capitula contingere dignoscuntur, habetur cap. ult. eod. Quamquam etiam in proposito attendendæ sint laudabiles, & canonicæ præscriptæ consuetudines Ecclesiarum, conformiter dictis n. 25. & 26.

- 30 Resp. II. Insuper spectato Jure communi antiquo, Episcopus in ordinatione Clericorum, seu in Ordinis conferendis, consilium Canonicorum, sive Capituli adhibere tenetur, can. Episcopus sine. dist. 24. junctâ Gloſâ un. ibid. De factis tamen sufficit, examen Ordinandorum instituire juxta Decretum Concilii Tridentini Sess. 23. cap. 4. & 5. ac 7. de reform.
- 31 Rursus vigore Concilii Tridentini Sess. 5. cap. 1. de Reform. Episcopus de Capituli consilio debet providere, ut habeatur Sacræ Scripturæ, seu Theologiæ Lectio: atque in hunc finem cum consilio Capituli eligere idoneum Magistrum, qui Clericos, aliosque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa Sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, transire valeant.
- 32 Resp. III. Ad meliorem causarum expeditionem, seu decisionem, potest Episcopus Canonicis capitulariter congregatis aliquid ad deliberandum proponere; imò & in hunc finem Capitulum convocare, votaque ipsorum exquirere, & juxta ea concludere: dummodo de re ad suam, vel suorum commodum spectante non agatur. Ita Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 6. §. Qui si aliquid. de Reform. Eo tamen addito, quod absente Episcopo omnino hoc ab eis de Capitulo, ad quos hoc de jure vel consuetudine spectat, perficitur; nec ad id Vicarius Episcopi admittatur &c.
- 33 Additur notanter, dummodo de re ad suam, vel suorum commodum spectante non agatur. Quia casum istum expressis verbis Concilium loc. cit. excipit: ac proinde, si talis casus Capitulo ad deliberandum proponeretur, non posset Episcopus interesse, vota que Canonicorum exquirere. Diminueretur enim facultas liberè votandi, ob respectum proprii Episcopi: simulque cum Episcopo non possit esse Judex in propria causa, nullum huic competeret votum decisivum. Barbosa tract. de Canonic. & Dignitat. cap. 35. n. 9. post Armendarum lib. 7. de Episcopis. n. 48. & alios, quos citat.
- 34 Secus dicendum de rebus ad Episcopalem Dignitatem spectantibus, in quibus ipse judex esse potest: tunc enim volens aliquid ad deliberandum proponere, poterit Episcopus Capitulum convocare, vota que Canonicorum exquirere, ac juxta ea concludere. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 73. & tract. de Canonic. & Dignitat. cap. 35. n. 7. citans alios; atque referens Declarationem Sac. Congregationis Concilii, sub die 2. Martii. 1619. Et quamvis Episcopus etiam, ubi de suo, vel suorum commodum agitur, possit Capitulum convocare, atque rem ad deliberandum proponere: debet tamen tunc Canonicos Capitulares relinquere solos, ut ipsi liberè rem discutiant, & determinent. Barbosa d. tract. de Canonicis. cap. 35. n. 8. citans alios.

## §. II.

Utrum Prælati absque consensu Capituli possit repudiare Legatum factum Ecclesiæ, præsertim de rebus immobilibus?

## S U M M A R I U M.

- 35 Proponitur ratio dubitandi, & sententiam negativam tenendi.
- 36 & 37. Eademque amplius confirmatur.
- 38 Affirmativa sententia, videlicet, validam esse repudiationem talis Legati factam à Prælato Ecclesiæ &c. videtur probabilior.
- Eaque probatur tum auctoritate Doctorum. Ibid.
- 39 Tum multiplici ratione. Et n. seqq.
- Non est par ratio, lucra non facere, & quæstia perdere. Ibid. & n. 41.
- 40 Legatum ante acceptationem est in suspensio: & si repudiatur, nunquam retrò nostrum fuit.
- 41 Repudiatio legatum non est alienare. A diversis non fit illatio. Ibid.
- 42 Solvuntur rationes negativæ sententiæ. Et num. seqq.
- 43 Prælati solus nequit Ecclesiæ suæ conditionem facere deteriorem in acquisitis, bene tamen in acquirendis. Et n. 48.
- Prælati tenetur procurare utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ. N. 37. & n. 53.
- 44 Repudiatio legati per Pupillum facta, dicitur alienatio; & quomodo?
- Disparitas inter Prælatum, & Pupillum, quoad repudiationem legati. Et n. 43.
- 45 Repudiatio legati per Prælatum facta, non est vera alienatio. Et n. 41.
- 46 Legatum in continenti acquiritur Legatario: & quomodo? Et n. 35.
- 47 & 48 Solvuntur ceteræ rationes negativæ sententiæ. Et
- 49 Proponuntur aliæ objectiones, & solvuntur. Pollicitatio facta Republicæ, vel Civitati, an obliget ante acceptationem? Ibid.
- 50 Votum obligat ante acceptationem hominis, non autem Legatum Ecclesiæ factum. Invito beneficiario non tribuitur. Ibid.
- Inter pollicitationes, & legata, est magna disparitas. Ibid.
- 51 & 52. Ecclesia, an fungatur jure Pupilli?
- 53 Repudiatio legati Ecclesiæ facti est illicita, & peccaminosa, si fiat absque justa causa; teneturque Prælati ad satisfaciendum Ecclesiæ. Et num. 38.
- 54 Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obriunt roborem firmitatem. Remissivè.
- 55 Quando Prælati malè repudiavit Legatum, potest Ecclesia graviter læsæ petere restitutionem in integrum.

Celebris est hæc Quæstio, & tam inter Theologos, quam Canonistas multum controversa, loquendo tamen de re immobili: nam res mobiles Ecclesiæ posse per Prælatum alienari, si que etiam validè repudiari, aliunde patet. Verùm loquendo de rebus immobilibus, ratio dubitandi, simulque sententiam negativam tenendi, est: quia Prælati solus (hoc est, absque consensu Capituli, servatisque ceteris solemnitatibus juris) nequit alienare bona Ecclesiæ, præsertim immobilia, can. Monemus. 12. q. 2. & cap. ult. de Rebus Eccles. non alienand. cum similibus: atqui Prælati repudiando hujusmodi legatum, alienaret rem Ecclesiæ; ergo.

## §. II. Utrum Prælati absque consensu Capituli &amp;c. 209

ergo. Minor probatur multipliciter. Nam imprimis talis repudiatio legati, in Jure expressè dicitur alienatio, l. Magis puto. §. Fundum. ff. de rebus eorum, qui sub tutela &c. ibi: Fundum autem legatum repudiare pupillus sine Prætoris auctoritate non potest: esse enim & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat. Deinde legatum acquiritur in continenti ipsi Ecclesiæ, cui fit, l. A Titio. ff. de Furtis, ibi: Ea que legantur, retrò vidè ab eo, qui legavit, ad eum cui legata sunt, transeunt. Et acquiritur etiam ignorantibus, l. Cùm pater. §. Surdo. ff. de Legat. II. Ubi Summarium rectè ait: Legati onus, & emolumentum quaeritur etiam ignorantibus, cum concordantibus. Et consequenter Prælati legatum Ecclesiæ repudiando, verè alienaret rem Ecclesiæ: quod tamen non potest.

36 Nec sufficit, si dicatur, quòd ante acceptationem nequid Ecclesiæ fit acquisitum jus in re, sed tantum jus ad rem. Nam contrà est: quia imprimis per suam renunciationem nequit Prælati Ecclesiæ tali jure ad rem, sibi jam quæsitum, privare: alioquin illud alienaret, atque Ecclesiæ conditionem quoad jus ad rem jam quæsitum, faceret deteriorem. Insuper jus ad rem parit actionem, ut certum est: atqui cessio actionum nequit fieri sine solemnitatibus juris; quia est species alienationis, l. Bonorum. 49. ff. de Verb. signif. ubi dicitur. Equè bonis annumerabitur etiam, si quid est in actionibus, peritionibus, persequutionibus: nam hæc omnia in bonis esse videntur. Accedit textus in l. Qui actionem. ff. de Reg. Jur. ibi: Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

37 Confirmatur id ipsum ex eo. Quia Prælati tenetur procurare utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, eidemque acquirere, quantum potest: alias tenetur de suo facti facere, can. Quicumque. 12. q. 4. & Gloſa ibid. verſ. Aut neglectum juncto can. Sine exceptione. 12. q. 2. & Gloſa ibid. verſ. Profuturum, cum similibus. Atqui istud non fieret, repudiando legatum Ecclesiæ factum: nam non acquirere, est infideliari, per textum in l. 1. §. Conſertur. ff. de Collatione. honor. ibi: Cæterum si idegerit, ne quid acquireret -- hic etiam sibi infidelitatis est. Accedit Reg. 76. Jur. in 6. De hinc persone (puta, Prælati malitiosè repudiantis legatum Ecclesiæ factum) non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare: atqui istud fieret, si valeret ejusmodi repudiatio; ergo. Atque ob hæc potissimum rationes, sententiam negativam tenent multi Doctores: ut Baldus in l. Contrajuris. §. 1. ff. de Pactis. Ancharanus c. Ut super. nu. 6. & Joan. de Imola ibid. de rebus Eccles. non alienand. Alexander in l. Legatum. ff. de Legat. l. Angelus. verſ. Alienatio. n. 16. citans Paulum de Castro Consil. 2. Azorius part. 2. lib. 9. cap. 1. quæst. 12. hæc sententiam appellans probabiliorum. Quaranta in Summa Bullarii. verſ. Alienatio rerum Eccles. allegans Molinam de Contractibus. disp. 468. n. 11. Pinellum de Bonis maternis. lib. 1. part. 3. nu. 103. & alios: hæcque sententiam theoreticè probabiliorum, censet Ludov. Engel, Tit. de Rebus Eccles. non alienand. n. 9. est cæteroquin problematicè procedat. His tamen non obstantibus,

38 Resp. I. Esti allata sententia sit multum probabilis; uti patet tum ex rationibus, tum auctoritatibus pro ea allatis: opposita tamen sententia videtur probabilior, magisque in Jure fundata, videlicet validam esse repudiationem Legati etiam rei immobilis, factam à Prælato Ecclesiæ; quamvis hujusmodi Prælati, qui sine justa causa repudiavit, malè egerit, possitque compelli, ut de suo, si habet, satisfaciat Ecclesiæ, utpote quam damnificavit, simulque Ecclesia sic graviter læsæ, implorare valeat beneficium restitutionis in integrum. Et qui

dem posterior pars hujus Conclusionis est communis, atque ex professo probatur infra num. 53. ac seqq. Priorem verò partem, asserentem videlicet, quòd valida sit ejusmodi repudiatio legati, videtur tenere Gloſa can. Illud. §. Si ergo. 16. q. 6. verſ. Meliorem, dicens, quòd quidem in acquisitis Prælati non possit conditionem Ecclesiæ facere deteriorem, bene tamen in acquirendis: ut l. Ex libris. C. de Acquirend. possess. Eandemque sententiam apertè tenet Federicus de Senis Consil. 9. cuius auctoritas est magna, quique vir fuit excellentissimus, & præcipuus Decretorum Doctor in toto mundo; ut inquit Jason mox citandus. Abbas cap. 1. nu. 20. & seqq. de Dolo & contumacia. & c. Tua nuper. n. 9. De his, quæ fiunt à Prælati &c. subjungens tamen casum esse dubium. Ludovicus Romanus Consil. 184. Jason l. Legatum servum. num. 15. & seqq. ff. de Legat. l. ubi num. 19. istam opinionem reputat communem: quam etiam tenet Bartolus l. Tutor. circa fin. de Bonor. possess. asserens, quòd hæreditatem delatam Monacho poterit Abbas repudiare. Et Baldus, sibi contrarius, in l. Pupillorum. C. de repudiand. hæredit. & alii per Jasonem, ubi supra. num. 16. pro hac sententia citati. Zaccarius tit. de Reb. Eccles. non alienand. num. 7. Card. de Luca de Donationibus. Discurs. 23. n. 16. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 95. n. 52. citans Rotam Divers. Decis. 30. lib. 2. part. 3. & Decis. 233. n. 6. & Decis. 284. n. 2. part. 2. lib. 3. & alios. Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 24. nu. 65. Sylvestre verſ. Alienatio. n. 18. & Sanchez lib. 6. de Marrimon. disp. 4. n. 12. Castro Palao part. 2. tract. 12. punct. 15. §. 1. n. 11. alique plures.

Ratio principalis hujus sententiæ est: quia in repudiatione legati Ecclesiæ facti, non intervenit vera alienatio; ergo corrumpit totum fundamentum adversæ sententiæ. Antecedens probatur. Tunc non intervenit vera & propria alienatio, quando repudiatur solum res, quæ nondum fuit Ecclesiæ: atque legatum rei, etiam immobilis, & repudiatum à Prælato, nondum fuit Ecclesiæ; ergo. Major hujus probationis patet ex eo. Quia non est par & eadem ratio, lucra non facere, & quæstia perdere, l. ult. §. Si quis verò & de Codicillis. l. Si sponsus. §. Si maritus. ff. de Donatione. inter vir. & uxor. quæ infra num. 41. referuntur, cum similibus. Eadem Major probatur ex eo: quia repudiatio non est alienatio, sed solum est non acquisitio, juxta textum apertum in l. Alienatio. 28. ff. de Verb. signif. ibi: Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare: veluti, qui hæreditatem omittit: aut opinionem intra certum tempus datam non amplectitur.

Minor verò probatur. Legatum fante acceptationem censetur esse in suspensio: & si repudiatur, nunquam retrò censetur fuisse nostrum; ergo neque censetur fuisse ipsius Ecclesiæ, si repudiatur à Prælato; administrationem rerum Ecclesiæ habente. Antecedens desumitur ex pluribus textibus Juris. Sic quippe expressè dicitur in l. Si tibi homo. §. Cùm servus. ff. de Legat. I. illis verbis: Cùm tibi servus Legatur, & ipsius servi status, & omnium quæ personam ejus attingunt, in suspensio est; nam si Legatarius repulerit legatum, nunquam ejus fuisse videbitur: si non repulerit, ex die aditæ hæreditatis ejus intelligitur. Concordat, & adhuc clariùs loquitur textus in l. 1. §. Utrum autem. ff. Si quid in fraudem patroni &c. ubi in simili Jurisconsultus inquit: Si hæreditatem libertus non adierit fraudandi patroni causa, vel legatum repulerit, Favianam cessare: quod mihi videtur verum. Quamvis enim legatum retrò nostrum sit, nisi repudiatur: atamen, cùm repudiatur, retrò nostrum non fuisse, palam est. Ponderando ista

postrema verba: Retrò nostrum non fuisse, palam est. Unde sequitur, quod jus adeundæ hereditatis, vel legati, non fit absolutum; sed conditionatum, pendens à nostra voluntate, ac proinde factâ repudiatione, convincitur nunquam fuisse nostrum, vel Ecclesiæ, cuius Prælati id repudiavit, per Jura proximè allegata.

41 Confirmatur eadem Conclusio. Quia aliud est, alienare, quod suum est; aliud, non acquirere; ergo, quamvis Prælati sine consensu Capituli, servatisque aliis solemnitatibus juris, non possit alienare bona Ecclesiæ; inde non sequitur, quin possit validè repudiare Legatum Ecclesiæ factum absque consensu Capituli. Consequentia patet: quia à diversis non fit illatio, L. ult. in fin. & ibi: Bartolus ff. de Calumniat. Barbosa Axiomat. 114. num. 1. citans alios. Antecedens verò probatur ex l. Si sponsus. §. Si maritus. 13. ff. de Donation. inter vir. & uxor. ibi: Neque enim pauperior sit, qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo depouit. Simulque ex L. ult. C. de Codicill. ubi dicitur: Non est par, eademque ratio, amittere debita (sive, ut alii loquuntur, amittere quæstia) & lucra non facere. Quin imò in l. Qui autem. §. 1. ff. Quæ in fraudem creditor. expressè deciditur, quòd repudiare hereditatem, vel legatum, non fit alienare: Noluit enim (inquit textus) acquirere; non suum proprium patrimonium diminueret. Unde subiungitur ibidem in hæc verba: Sed & illud probandum est, si legatum repudiavit, cessare hoc Edictum: nempe illud, vi cuius Prætor L. 1. ibi. promiserat, se omnino in fraudem creditorum factam alienationem revocaturum. Adde alium textum citatæ Legis, inferius n. 45. allegatum.

42 Ad rationes pro priori sententia n. 35. relatas, & imprimis ad primam earum, Resp. neg. Min. Nam legatum non acceptatum, sed à Prælato repudiatum, nunquam fuit Ecclesiæ; per textum n. 40. allegatos. Atqui repudiando rem, quæ nunquam fuit Ecclesiæ, non alienatur res Ecclesiæ, ut ex terminis patet; sique corrui totum fundamentum oppositæ, seu negativæ sententiæ.

43 Ad primam probationem ejusdem Minoris, sive ad l. Magis puto. §. Fundum ff. de Rebus eorum, qui sub tutela &c. Resp. cum Abbate in c. Tua nuper. n. 9. De his, quæ fiunt à Prælati &c. Sylvestro §. Alienatio. n. 18. Sanchez lib. 6. de Matrimon. disp. 4. n. 12. & aliis, textum allegatum loqui de Pupillo ( uti liquet ex terminis) qui non habet administrationem rerum suarum, sique hoc ipso nequit repudiare legatum: secus esse in Prælato, qui administrationem habet rerum Ecclesiæ. Et licet in jam acquisitis non possit Prælati solus Ecclesiæ suæ conditionem facere deteriorem; cap. 1. De in integrum restitut. & l. Contra juris. ff. de Pactis. Bene tamen potest Prælati nocere Ecclesiæ, ejusque conditionem facere deteriorem in acquirendis: ut notat Glossa can. Illud. §. Si ergo. 16. q. 6. verl. Meliorem. istud probans ex l. Ex libris. C. de Acquirend. possess. ubi hoc idem dicitur de dolo, & negligentia Servi respectu Domini.

44 Nec urget quòd in allegata Leg. Magis puto &c. repudiatio legati à Pupillo facta, dicatur alienatio, ibi: Esse enim & hæc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat. Resp. enim, quòd loquendo de Pupillo, utpote administrationem non habente legatum ipsi fuisse, quòd Prælati sine iusta causa repudiatis legatum Ecclesiæ peccet; sique illicitè agat repudiando, non autem invalidè, prout amplius dicitur infra n. 53. & 54. Dum verò allegata regulam Juris, Qui actionem &c. dicitur, eam loqui de jure in re, & correspondente sibi actione: hoc autem non facit ad propositum, quando legatum repudiatur.

lib. 6. de matrim. disp. 4. n. 12. circa fin. Hoc autem non facit ad propositum: nam ubi Prælati, utpote habens administrationem rerum Ecclesiæ, repudiavit legatum Ecclesiæ factum, tunc res legata nunquam retrò censetur fuisse Ecclesiæ, per Jura n. 40. allegata. Unde redit proximè data disparitas inter Pupillum, qui nullam rerum suarum administrationem habet; & inter Prælatum Ecclesiæ, qui talem rerum Ecclesiæ sibi commissâ habet administrationem.

Accedit textus notabilis in l. Qui autem. §. 1. ff. Quæ in fraudem creditorum &c. ubi dicitur: Qui autem cum possit aliquid querere, non id agitur acquirat: ad hoc Edictum non pertinet (quò videlicet, juxta L. 1. ff. eod. prohibetur omnis omnino in fraudem creditorum facta alienatio.) Pertinet enim hoc Edictum ad diminuentes patrimonium suum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur. Hæc ibi. Unde patet, quòd repudiatio legati, à Prælato habente administrationem rerum Ecclesiæ facta, non fit vera alienatio: quia per talem repudiationem non diminuitur patrimonium Ecclesiæ, sed solum eidem non acquiritur. Hoc autem non importat veram, & propriè dictam alienationem; alioquin talis non acquisitio etiam comprehendi deberet sub allegato Edicto, utpote se extendente ad omnem omnino in fraudem creditorum factam alienationem. Id ipsum patet ex dictis supra n. 41.

Ad alteram minoris probationem, supra n. 35. desumptam ex l. A Titio. ff. de Furtis, respondetur, dictum illud, quòd legatum in continenti acquiratur ipsi Ecclesiæ, etiam ignorant, procedere duntaxat, quando legatum illud acceptatur: secus, si repudiatur, per textum n. 40. allegatos. Dicitur autem Legatum, si postea acceptetur, in continenti acquiri Legatario, partim, per fictionem juris: nam quantum attinet ad veritatem, legatum transit ad Legatarium non statim, sed adit hereditate, ut notat citata Glossa, arg. l. Si tibi homo. §. Cum servus. ff. de Legat. I. Partem ex eo, quia legatum rectè viâ transit ad Legatarium, ita ut nunquam sit factum hæredis, si acceptetur; prout explicatur in l. Legatum. ff. de Legat. II. ibi: Quod eo pertinet, ut si purè res relicta sit, & legatarius non repudiaverit defuncti voluntatem, rectè viâ dominium, quòd hereditatis fuit, ad Legatarium transeat, nunquam factum hæredis. Hæc ibi. Atque in eodem sensu legatum acquiritur etiam ignorant: quia videlicet, si postmodum acceptetur, cum oneribus & emolumentis suis transit ad legatarium statim à momento moris Testatoris, etiam si pro tunc Legatarius ignoraverit legatum sibi relictum.

Ad rationes num. 36. allatas respondetur, eos 47 procedere, quando legatum expressè, vel tacitè fuit acceptatum: tunc enim tribuit jus ad rem, paritque actionem personalem, quæ sine alienatione cedi non potest. Secus verò dicendum, quando legatum repudiatur: tunc enim nunquam retrò censetur fuisse Ecclesiæ, sique nec jus ad rem, neque actionem tribuitur, per Jura n. 40. citata. Ad regulam Juris, Qui actionem &c. dicitur, eam loqui de jure in re, & correspondente sibi actione: hoc autem non facit ad propositum, quando legatum repudiatur.

Ad confirmationem n. 37. positam, dicitur, 48 inde solum sequi, quòd Prælati sine iusta causa repudiatis legatum Ecclesiæ peccet; sique illicitè agat repudiando, non autem invalidè, prout amplius dicitur infra n. 53. & 54. Dum verò allegata Regula Juris in 6. Delictum personæ &c. Respondetur præter alias hujus Regulæ fallentias, eam possimum procedere in acquisitis: factis in acquirendis, ut notat Glossa can. Illud. §. 2.

§. II. Utrum Prælati absque consensu Capituli &c.

§. Si ergo 16. q. 6. §. Meliorem. & Abbas c. Tua nuper. num. 9. h. t. Sive, ut inquit Innocentius cap. 2. de Donationib. Regula illa locum habet, quando agitur de damno vitando, non de lucro captando: prout in simili habetur l. Ex libris §. Hoc etenim. C. de Acquirend. possess. ibi: Antiqua regula Juris, quæ definitiva, deteriorè conditionem per servum domino nullo modo fieri, tunc locum habet, cum dominus de damno periclitetur, non cum sibi lucrum per servum acquiri desiderat.

49 Urgebis, atque objicies ulterius contra prædictam conclusionem. In legatis ad pias causas non requiritur specialis acceptatio hominis, seu Prælati, ut transeat in jus Ecclesiæ; ergo nulla solutio. Probatur antecedens. Tum quia pollicitatio facta Republicæ, vel Civitati, obligat ante acceptationem, arg. l. 1. §. seqq. ff. de Pollicitation. cum similibus. Tum quia à Deo, utpote qui est verus Legatarius, non Prælati, illicitè acceptantur pollicitationes, atque legata ad pias causas. Resp. neg. anteced. Ad cuius primam probationem, negatur Assumptum. Quia, ut notat Lessius lib. 2. de just. & jur. cap. 18. nu. 40. in ejusmodi Legibus Jus Civile non efficit, ut pollicitatio facta Civitati &c. vim habeat ante acceptationem; sed, ne ea possit pro libitu revocari, imò postmodum semper possit acceptari, ac promissum peti: prout indicatur in l. Pactum. ff. de Pollicitationib. Hinc, ut vi talis pollicitationis teneatur quis solvere, requiritur insuper subiequens acceptatio Civitatis, juxta textum memorabilem in c. l. r. eod. ubi expressè dicitur, non semper obligari eum, qui pollicitus est Republicæ: sed tunc primùm quando quis promisit ob hunc rem sibi decretum, vel decernendum; aut si quidem sine causa promiserit, opus tamen promissum facere jam coepert, in his enim casibus jam intervenit acceptatio Republicæ.

50 Ad alteram partem Antecedentis pariter negatur Assumptum. Quamvis enim votum Deo factum illicitè acceptetur à Deo, sique obliget ante quamcunque aliam acceptationem hominis: sedus tamen dicendum de legato Ecclesiæ factò. Quia enim invitò beneficium non tribuitur, ut dicitur, l. Invito. ff. de Reg. Jur. sed requiritur acceptatio ipsius, l. Absenti. ff. de Donation. hinc neque Deus, neque Ecclesiæ vel Monasterium vult acceptare legatum, quòd Prælati repudiavit, utpote cui commissâ est administratio bonorum Ecclesiæ. Accedit, magis esse disparitatem inter pollicitationes & legata: nam ille, postquam sunt acceptatæ, habent vim pacti, seu donationis inter vivos; qualis regulariter amplius revocari non potest. Secus est in legatis, quæ licet sint facta ad pias causas, cum tamen sint mortis causæ, possunt in vita semper liberè revocari; & post mortem, donec acceptentur, manent in suspenso: si tamen repudiata fuerint, nunquam censentur fuisse Legatarii, etiam si essent causæ piæ relicta.

51 Instabis. Ecclesiæ fungitur jure Pupilli: atqui repudiatio legati respectu Pupilli, est alienatio, & invalida; ergo etiam repudiatio legati respectu Ecclesiæ, à solo Prælato facta, erit invalida. Major probatur ex c. Requisti. 1. De in integrum restitut. ibi: Cum Ecclesiæ jure minoris debeat semper illa servari. Quòd ipsum habetur in c. Auditus. 3. eod. ibi: Nos attendentes, quòd utraque Ecclesiæ fungitur jure minoris. Et quòd Ecclesiæ equiparetur Pupillo, notat Glossa can. Sine exceptione. 12. q. 2. §. Profuturum. & alia Glossa l. Republica §. Solet. C. Quibus ex causis majores &c. §. l. Libertos. §. Administraverunt. C. de Esculationib. tutor. & Fagnanus c. Novit. n. 25. Ne Sede vacante &c. citans alios. & Engel. tit. de Rebus Eccle. non alienand. n. 9. verl. Nec

Justit. alioque. Minor verò constat ex l. Magis puto. §. Fundum. ff. de Rebus eorum, qui sub tutela &c. cujus verba n. 35. relata sunt.

Resp. neg. Major. Quia Ecclesiæ fungitur quidem jure Minoris, non tamen jure Pupilli, ut bene notat Glossa cit. c. Auditus. verl. Jure minoris. De in integrum restitut. Nam contra pupillarem ætatem non currit præscriptio, l. Sicut in rem. C. de Præscript. 30. ann. At verò contra Ecclesiæm currit præscriptio quadraginta annorum, nisi vacaverit, c. Ad aures. 6. §. C. Illud autem. 8. c. Auditus. 15. de Præscriptio. Ad textum in probationem Majoris allegatos, dicitur, eos parùm probare, cum expressis verbis loquantur solum de jure Minoris, ut patet ex relatis verbis: Ecclesiæ fungitur jure Minoris &c. & consequenter non jure Pupilli. Intellige tamen istud de Ecclesiâ non vacante, de qua procedit prærens quæstio, utpote loquens de Prælato ipsius: nam quòd Ecclesiâ vacans, seu destituta Pastre suo, possit equiparari Pupillo, hujusque jure fungatur, ultrò conceditur, post Glossam, & Doctores proximè allegatos; estque jam dictum supra Tit. præced. n. 14.

Resp. II. Esti repudiatio legati Ecclesiæ facti sit 53 valida, juxta hætenus dicta; nihilominus ejusmodi repudiatio, si per Prælatum absque iusta causa fiat, est illicita, peccaminosa, atque injuriosa Ecclesiæ: adeo, ut Prælati teneatur ad satisfaciendum Ecclesiæ, si habeat proprium, unde satisfaciatur. Ita communis. Siquidem Prælati vi Officii sui, adeoque ex obligatione viri utriusque, teneatur procurare commodum & utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, eidemque acquirere, in quantum potest, can. Quicumque. 12. q. 4. junctâ Glossâ verl. Aut neglectum, cum concordantibus. Unde consequens est, quòd Prælati ille, qui sine iusta causa repudiavit legatum Ecclesiæ factum, non solum illicitè egerit, atque peccaverit; sed etiam compelli possit, ut de suo, si proprium habeat, satisfaciatur Ecclesiæ, utpote quam injuste damnificavit. Glossa can. Illud statuendum. §. Si ergo. 16. q. 6. verl. Meliorem. Abbas c. Tua nuper. n. 9. h. t. istud probans exemplo Tutoris, qui si potuit acquirere pupillo, & non acquisivit, teneatur de suo restituere, l. Quidquid C. Arbitrium tutelæ.

Nec tamen ex hoc sequitur, quòd repudiatio 54 Legati Ecclesiæ facti sit invalida. Quamvis enim sit illicita, adhuc tamen, si fiat, existit valida, juxta vulgatum illud: multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obinent roboris firmitatem: ut inquit Pontifex, in c. Ad Apostolicam. 16. de Regularib. & c. Cum jam dudum 18. de Præhend. cum similibus. Quomodo autem hæc regula concordari debeat cum Regula 64. Juris in 6. Quæ contra jus sunt, debent ungue pro infectis haberi: ex profecto dictum est supra Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 11. n. 245. 246. & seqq.

Resp. III. Insuper, quando Prælati absque 55 iusta causa repudiavit legatum Ecclesiæ factum, potest Ecclesiæ exinde graviter læsa perire beneficium restitutionis in integrum. Ita rursus communis. Nam, quòd beneficium restitutionis in integrum gaudeant Ecclesiæ, Monasteria, alioque Loca pia, quando in suis bonis vel juribus graviter læsa fuerunt; patet ex dictis supra Lib. 1. Tit. 41. §. 2. n. 32. 33. & seqq. ubi plura de hoc.